



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE VERBO DEI|| scripto & non scripto,|| QVATVOR LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, 1599**

**VD16 B 1607**

IV. De editione Syriaca.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53828](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53828)

contrarium reddidit בְּרַע נֹתֵן non multiplicabitis comam.

In Numerorum lib. cap. 21. num. 19. ponitur fabula de pu-  
teo quem fingunt Hebræi descēsse cum filiis Israël ad tor-  
rentes, & de torrentibus ascendisse cum eis ad colles; & de  
collibus rursus descendisse ad valles: & cap. 28. num. 9. vbi te-  
xtus Hebræus habet, *Populus solus habitabit*, hoc est, cum a-  
liis gentibus non miscebitur; paraphrasis Chaldæa more Iu-  
daico reddidit, Ecce populus solus possidebit seculum; id e-  
nim illi exspectant ut soli dominantur in orbe terrarum.

Denique in Deuter. cap. 4. num. 18. & cap. 28. num. 64. vbi  
Scriptura Hebraica, Græca & Latina prædicti fore, ut He-  
bræi seruant Diis alienis; quod etiam impletum nouimus  
non semel fuisse: Chaldaica paraphrasis deriuat hoc scelus i-  
dolatriæ ab Hebræis ad gentes. Vertit enim; Seruietis po-  
pulis seruientibus idolis. Nunc pauca quædam de Syriaca e-  
ditione addenda sunt.

## CAPVT IV.

## De editione Syriaca.

**D**E editione Syriaca dicenda sunt tria. PRIMVM,  
quid intersit inter linguam Syriacam & Chaldaicam.  
DEINDE, qui libri sacri Syriaca lingua scri-  
pti habeantur. POSTREMO, quanta sit huius edi-  
tionis auctoritas.

Quod igitur ad PRIMVM attinet, Syriaca lingua quasi  
proles quædam est Hebraicæ & Chaldaicæ linguæ. Hebræi  
siquidem, qui usque ad captiuitatem Babylonicam Hebraicæ  
solum, id est, lingua sua loqui consueuerant, cum abducti es-  
sent in Babylonem, cœperunt obliuisci linguam propriam  
& addiscere alienam, id est, Chaldaicam; quia tamē non per-  
fectè eam pronuntiare poterant, & semper aliquid ex He-  
braica retinebant; factum est, ut lingua quædam tertia nasce-  
retur, mixta ex Hebraica, & Chaldaica; atque ea est, quam  
pro vulgari, ac materna deinceps Hebræi habuerunt. Quæ  
quidem Syriaca dicta est à regione, vbi maximè eius usus vi-  
get; siue Hierosolymitana, à ciuitate præcipua Hebræorum:

L 3      quem-

quemadmodum lingua Chaldaica, quæ hoc nomen habet  
regione Chaldaea, vocata est etiam Babylonica, à ciuitate  
Chaldaæ nobilissima. Porrò distinguuntur hæ duæ lingue  
characteribus, verborum coniugationibus, affixis, punctis  
notatione, sono vocalium, idiotismis, ac tota ferè lingua  
structura, & multis etiam propriis dictionibus.

Quod autem pertinet ad S E C V N D U M, Primo certum  
nullum librum veteris Testamenti scriptum esse à primo  
auctore in hac lingua, nisi fortassis liber primus Machabae  
rum & Ecclesiasticus, quorum priorēm Hebraicum se videlicet  
scribit Hieronymus in prologo Galeato; de posteriori iedoc  
scribit in prologo Proverbiorum. Credibile enim est lingua  
vulgari Hebreorum, id est, Syriaca scriptos fuisse hos libras  
qui tamen non existant hoc tempore, nisi Græcè. De ceteris  
libris constat, aut Hebraicè, aut Chaldaicè, aut Græcè apud  
auctoris scriptos esse.

De Testamento novo maior est dubitatio. & quidem rati  
onabile probabile est Euangelium S. Matthæi, & epistolam S. Pauli  
ad Hebreos, Syriaca lingua scriptos esse: id enim efficacissimis  
argumentis probat Albertus Widmestadius Ferdinandus  
di Imperatoris Cancellarius, qui primus in Europa Testamentum  
nouum Syriacum imprimi curauit; & Guido Fabri  
cuius est Latina interpretatio noui Testamenti Syriaci in  
giis Bibliis.

Neque his repugnant veteres scriptores, Irenæus, Origenes,  
Eusebius, Athanasius, Epiphanius, Hieronymus, qui hos  
libros, ac præsertim Euangelium S. Matthæi, Hebraicè scrip  
tos fuisse dicunt: loquuntur enim de lingua Hebraica, quæ  
Apostolorum tempore vulgaris erat, quemadmodum in ipso  
Euangelio passim legimus, dictū aliquid esse Hebraicè, quo  
tamen constat vulgari lingua, id est, Syriaca dictum esse, que  
le est illud Ioan. 19. *Exiuit in eum, qui dicitur Calvaria lo  
cum, Hebraicè autem Golgotha.* De quibus vocibus vide  
S. Hieronymum in libros de nominibus Hebraicis, vbi diligenter  
notauit omnes voces, quæ Syriacæ sunt, cùm tamen  
Hebraicæ esse dicantur ab Evangelistis. Præter hos duos li  
bros, totum nouum Testamentum translatum est ex Graeco  
idiomate in Syriaçum, auctore (ut ipsi Syri arbitrantur) S. Mat  
thæo Evangelista.

Quod

Quod si verum esset, nulla esset causa, cur de huius editionis auctoritate (ut iam ad postremum caput veniamus) dubitaretur. Sed non facile adduci possum, ut credam à S. Marco traditam Ecclesiis Syriæ, & Ægypti editionem Syriacam Testamenti noui vniuersi; & eius editionis nullam prorsus mentionem extare apud Clementem Alexandrinum, Originem, Eusebium, Athanasium, Theophilum, Epiphanius, Hieronymum, Cyrillum, Theodoreum, Ioan. Damascenū, aliosque Patres, qui vel in Syria, vel in Ægypto aut Episcopi, aut Presbyteri fuerunt, & vel de variis Scripturarum editiōibus accuratè diputārunt, vel certè multa de Scripturis sanctis posteritati scripta reliquerunt.

Quod si editio Syriaca ætate horum Patrum posterior est, ut ego quidem mihi certò persuadeo, non potest eius auctoritas tanta esse, ut cù editione Græca, aut Latina meritò comparari possit. ut interim illud omitta, quod non defunt etiam quædam in ea editione, quæ viris doctis, & piis non admidum placeant. Vnum tamen est, præter alia, eius editionis commodum insigne, quod cùm in titulis, ac sectionibus capitum, mentio fiat iejuniorum, venerationis crucis, precum pro defunctis, vigiliarum, memoriae Sanctorum, aliarumque eiusmodi rerum, quas Lutherani tanquam Romani Pontificis traditiones detestantur, apertissimi mendacij hæc ipsa editio Lutheranos conuincit. Sed de editione Chaldaica & Syriaca satis multa pro instituti operis breuitate dicta sunt: nunc ad Græcam veniamus.

## CAPVT V.

### *De variis Græcis editionibus.*

 DITIONES Græcae Testamenti veteris nouem omnino numerantur, præter eam, cuius meminit Clemens Alexandrinus lib. I. Stromatū, quæ antequam rerum potiretur Alexander Magnus, incertum quo auctore prodiit, & ex qua Plato ceterique Philosophi non pauca hauserunt: sed quoniam ea, succedente postea translatione illa celeberrima septuaginta seniorum,

L 4 primum